

Cornarij o-
pinio explo-
sa.

detis. Sanè quod in rem communem nauare potui, licet illud exiguum esse intelligam, in eo non commisi, ut meum studium, opera, aut diligentia à uobis desideretur. Quid autem profecerim nescio, vestrum erit iudicium. Sed longè aliter quām nos uidetur fecisse Cornarius, vir alioqui in utraque lingua doctissimus, & qui inter omnes alias fortè singularis haberi uelit. Is enim suo in Dioscoride, quem nunc primum uertit, & emblematisbus quibusdam auxit, non solum nullas appinxit imagines, sed eos etiam acriter damnat, qui eas suis inseruerunt commentarijs. Sed an liuore potius, uel ratione ductus, uos iudices esse uelim, si quandoque illius boni uiri legeritis præfationem, & eius animum diligenter explorabis. Nam etsi Galeno dictum sit (id quod & nos ante Cornarium scripsimus) plantarum imagines parum conferre ad earum indagandam cognitionem, non tamen ob hoc accusandi sunt, qui plantarum, & animalium icones in suos conferunt libros. Quippè quoniam nusquam inuenierim damnasse Galenum platarum imagines, que in libris appendi solent, sed eos, qui existimant se rei plantariae peritissimos euadere posse, non solum imaginum inspectione, sed & librorum quorūcunque lectione, licet fuerint ijs à summis, grauissimisq; authoribus conscripti. Quamobrem non parum mirari subit, Cornarium alioqui virum apprime doctum Galeni verba non modò non intellexisse, sed in reprobum quoque distractuisse sensum. Quo fit, ut hinc facile suspicari quis possit, quod quum viderit Cornarius omnium ultimus Dioscoridis interpres, nullum sibi reliquum iam esse locum, quod noui aliquid de plantarum imaginibus afferre potuerit, id sibi consilij asciusse, ut eos acriter detestaretur, qui plantarum picturas in suis libris habent, ratus fortasse hoc detestandi genere, non solum plurimum sibi laudis comparare, sed etiam suum obtegerē infortunium, suamq; (quod eius pace dicam) in plantarum historia imperitiam. Quæ enim sit alia ratio, cur aliorum damnat industriam & quasi posteris non sit id licitum, vt & ipsi aliquid suo ingenio, & studio excogitent, quod ab antiquis arte nō sit animaduersum. At nō damnasse Galenum plantarū imagines, nec libros de plantarum historia conscriptos, sed eos, qui horum tantum inspectione posse quenquam rei plantariae fieri peritum crediderant, id manifesto fuerit argumento, quod ipsem Galenus libro primo de alimētorum facultatibus posteritatis memorie prodidit, cùm inquit, Comparatos nobis esse hosce libros, ut nōb̄ sint eorum, quæ ante didicimus monumenta, non vt rudcs & ignari per illos doctrinam perfectam assequantur. Quod si qui sint qui præceptoribus careant, velintq; ijs, quæ luculentè ac copiosè sunt scripta diligenter incumbere, magnum indē fructum eos accepturos testatur idem Galenus, præsertim si ea relegere non grauentur. Quibus palam est longè magis detestandos esse eos, qui clarissimorum hominum laboribus inuidentes, nil aliud, quām blaterare, ac carpere sciunt, quām eos, qui reipublicæ commodis semper prodeesse cupientes, nil aliud agunt, quām ut boni semper aliquid, & noui in publicum usum promant. At qua re imagines, & non libros damnauerit Cornarius, cùm non minus ex Galeni sententia eorum lectione, quām imaginum inspectione, quis neutiquam proficere ualeat, non satis animaduerto. Cur tantum laboris, si nihil profuerit, in uertendo Dioscoride adiectis etiam emblematisbus incassum suscepit? Hōcne ei erat studium, hūcne capiebat animum, ut in unum laboraret? Porrò nil aliud uobis dandum, dicendumq; supereft. Spero tamen ab ijs, qui grati sunt (ingratos, maleuolos, ac inuidos nihil sanè moror) me gratiam initurum, quandoquidem mihi communis utilitatis cupidissimo hoc opus non aggrediendi uoluntas defuerit, sed perficiendi facultas, quam tamen omni studio consequi assidue conamur. Bene ualete, & nostra boni consulite.

Cornarius
notatur.

Vincentius Valgrisius

Candido Lectori S.



R A E S A G I T mihi animus, candide Lector, multos fore, qui vno ore institutum hoc meum damnent, & iam odiosas eorum voces audire mihi videor, qui coniuratis animis aduersum me nouum querelē genus instituāt, Perperam enim & ineptē me facere, qui hosce Matthioli Commentarios toties excusso, toties interpollatos mutatis non solum plantarum imaginibus, uerū etiam additis plerisque rursus in publicum emittam, meq; in causa esse, vt studiosi bonarum artium tot inane, & superuacaneos sumptus faciant. Porrò longè satius fuisse, si in aliquot annos editionem distulisse. Quis enim ambigat authorem ipsum hoc temporis spacio plenis (quod aiunt) viribus ad eam rem fuisse accessurum, & summam manum tanquam Colophonem semel absoluto operi impositurum. Nunc verò nihil aliud à nobis agi, quam quod nouis subinde editionibus eos obruiamus, ut eò speciosius ab ipsis pecunias extorqueamus. Hæc & similia de me fortasse aliqui. Quibus quid est quod interim respondeam, nisi quod conatus hic noster eorum gratia non fuscipitur, quos avaritiæ studium transuersos agit? Ab his enim tantum abest, ut lu-

cellum

cellum aliquid expectem, vt sim potius illis vltro etiam magnas gratias habiturus, si tabernam nostram nunquam salutarint. Alijs uero, quos insignis animi liberalitas, excellentesq; virtutes præ ceteris exornatos reddunt, noster omnis labor, & industria dicata est, neque vlla est res tanta, quam horum causa non & libenter, & studiosè sim facturus. Hec tamen nequaquam eò dixerim, quasi sordidum lucrum communi hominum vtilitati præferre uidear velle, id quod à me tantum abest, ut nihil abesse longius possit. Sed vt intelligas studiosè Lector, nullam esse tam modestam fœlicitatem, quæ malignitatis aculeos effugere possit; quanquam nolim totius defensionis inçæ cardinem, ac vim in hoc solo uersari, cum longè aliae & iustissimæ quidem sint causæ, quæ me ad edendos rursum hosce commentarios induxere. Etenim quis est, qui nesciat, si editionem hanc in aliud tempus reieculsem, euenturum omnino fuisse, ut quā plurimi studiosi huius artis, (me auctore) iacturam in studijs facerent, præsertim cum abhinc annum nulla exemplaria Venetijs reliqua fuerint; quo tempore confluabant turmatim ad me undique studiosi homines, qui quotidiani propè conuicijs à me eisdem Commentarios efflagitabant. Id quod cum multis alijs exploratissimum est, tum uero uel maximè mihi ipsi satis superq; cognitum: qui singulis horarum momentis adeò ab istis exagitabar, ut penè obsurduerim ad eorum querelas. Itaque operæ premium me facturum existimau, si rursus hosce commentarios excuderem: alioqui videbam mihi eodem tempore duplex crimen sustinendum. Nam & multorum studiosorum animos hac de causa à me alienasse, & rationem nullam habuisse eorum, qui Matthioli commentarios vel non viderunt, vel non legerunt. Quorum alterum priuatis meis rationibus plurimū obsuisset, alterum etiam inhumanum videri poterat, eos scilicet huius lectionis fructu diutius priuari, qui minimè omnium debebant. Quamobrem nullum iam ex studiosis futurum arbitror, qui mihi vitio uertat, quod hosce commentarios ita auctos, & locupletatos adiectis quā plurimis plantarum & animalium imaginibus, quæ in alijs editionibus desiderabantur, rursus imprimendos suscepimus. Nam cum huius artis cognitione longè, lateq; pateat, neque vllis cancellis sit conclusa; non video, cur ei qui in hoc argumenti genere aliquid scriperit, aut lucubrabit, non liceat suo quasi iure quotidie aliquid addere, immutare, inducere, breuiter scripta sua facere meliora: id quod auctorem ipsum in hisce commentarijs fecisse manifestum est. Quinimò ausim hoc planè affirmare, olim permolestū studiosis omnibus futurum, ubi viderint illum alijs studijs impeditum stationem hanc, quam diu tueri cepit, aliquando deserere, neque quicquam amplius in hoc genere meditari, quod in hos commentarios conferat, cum uerisimile sit ipsum & multa & præclara adhuc habere, quæ ad hanc præstantissimam simplicium cognitionem spectent, in qua ille (uti ego ab omnibus doctis paßim circumferri audio) non postremum inter alios sibi locum uendicat. Illud satis constat multos acer rimi iudicii homines pleraque ex illius commentaris mutasse, & scriptis suis inseruisse, nonnulli etiam ex illius laboribus quoddam ueluti centones confarcinasse: ut uel hinc conjectari liceat, qua eruditione, qua doctrina uir ille polleat. His igitur de caulis hunc librum denuò in manus as sumpsi, eumque (uti antea dixi) tot simplicium & animalium imaginibus auctum, multoq; magis quā antea locupletatum, typis exudendum censui. Adiecum præterea tabulam comprehendentem uim & naturam omnium simplicium ad omnes corporis morbos applicatam, ex qua uix dici potest quantum utilitatis & fructus sit studiosi percepturi. An igitur quisquam me reprehendat, quod hanc prouinciam imprimendi præclari huius operis toties suscipiam? Quod si iudices sortiri mihi contingat, quiq; ratione potius quā luore & odio moueantur, nihil ad dubito quin omnibus calculis pro me sententiam ferant. Porro quoniam superioribus annis receperam, me in lucem daturum Apologiam Matthioli contra Amatum Lusitanum, unā & Censuras in illius enarrationes, ne forte quis fidem meam hac in re desideraret, uisum est eam hisce commentarijs adnectere. Quamquā uero author semper eo animo fuerit, ut libellus non diuulgaretur, quod existimaret non esse magnoperè gloriosum (ut ipse ait) uincere eum hominem, qui se iam paßim omnibus, ut uerbis ipsius utar, deridendum propinarit, palamq; omnibus fecerit impudicitiam suam; tamen, ne quis melæsē fidei reum in iudicio sisteret, nihil non feci, ut author precibus meis locum daret. Et iam omni prorsus spe cadere cæperam, nisi acerrimi iudicij homines quotidiano propè conuicio id à Matthiolo efflagitascent. Aiebant illi plurimū referre, ut ea scripta ederentur; fore enim ut hinc omnis posteritas aperte intelligat, non solum quā ille omni culpa in eo uacet, in quo falso accusatur, uerū etiam ut Lusitani (uti ipsi addebant) arrogantiam & inuidentiam perspectam & exploratam habeat, cuius exemplo cæteri admoniti ab hac prouincia posthac abstineat, neque in probos & doctos uiros tam contumeliosè debacentur. Huc accedit quod non parum emolumenti, & frugis hinc ad studiosos omnes sit peruenturum, ob uariam & multiplicem doctrinam, quæ in hisce scriptis comprehensa est. Quid multis? Annuit Matthiolus, passusq; est Apologiam unā cum Césuris in lucem edi. Exilii meherculè præ nimio gaudio, quod tandem id eßem aliorum opera consequutus, quod tantoperè semper optaueram. Sed mirum est quā difficilē sese hac in re author præstiterit. Reliquum est, studiosè lector, ut ad hanc præclarissimam simplicium cognitionem te horter; non enim dubito, quin ubiores & suauiores fructus in dies ex ea percipias. Vale, ac labore nostro fruere.

EXEM-